Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput 48 [XLVIII.]

urn:nbn:de:bsz:31-108661

Visual Library

collocare quodammodo compulsus es. O bone Jesu, cuius cor non accendatur ad amorem, non excitetur ad devotionem, non moveatur ad compaſsionem, dum maximam inopiam, admirabilem humilitatem, ac ferventiſsimum erga nos amorem tuum animo revolvit? "O anima "mea desponsata fide, deputata cum angelis, S. Aug. in Man. c. 24. "dilige illum, á quo tantum dilecta es. In"tende illi, qui intendit tibi, Quære quærente "te, ama amatorem tui, cuius amore præventa "es. Ama illum, qui eduxit te de lacu mise"riæ et de luto fæcis.

Caput 48.

Aspirationes ad Deum ob ejus amorem in paſsione relucentem.

Totam Paſsionem Christi breviter hic exprimere cupientes, animadvertimus, id aptius fieri non poſse, quam totam hanc materiam in diversos ~~rhymt~~ rhytmos redigendo; ea ſiquidem rhytmicæ methodi vis est et energia, ut per eam preſsius, ſimul et cum majore emphaſi loquamur ſenſaque nostra exponamus.

1 O Jesu quà clementia,
Tulisti nostra crimina
Extrema mala sustines
Vt nos à morte tolleres
En hortum vix ingrederis.
Mox tristis eſse incipis.
Tu confortaris coelitus,
Et Sudor fit sanguineus.
Dum hostis furit impius,
Tu ei pergis obvius,
Mox perfidus sacrilego
Te Judas tradit osculo.
Injectis inde manibus
Te miles rapit improbus,
Te conjicit in vincula,
Infligit crebra verbera.
Gementes tui fugiunt,
In agnum lupi sæviunt,
Te tota nocte exprobrant,
Te velant, tundunt, lacerant.
Provolvar Jesu pedibus,
Hærebo in amplexibus,
Ex imo dans suspiria
Et flendo figens labia.
O Jesu summa suavitas,
Et cordium jucunditas,
Incomprehensa bonitas
Me tua stringat charitas
2 In alba veste luderis
Pilato dum reduceris,
En caro tua tenera
Fit tota plagis lacera,
Dum virgis atqꝫ funibus
Catenis nec non fustibus
Indomitorum manibus
Feriris tam innoxius.
Livore corpus tumuit,
concisum flagris squallUit
Tremendum caput sauciant
Dum spinis illud vulnerant.

O quanta agnus pateris,
Dum tacens malediceris,
Illusus dum conspueris,
Dum salutatus cæderis.
A nulls fit compaſsio,
Es omnium abjectio,
crucifigendum clamitant,
Quos nulla pæna satiant.
Obediens ad victimam
Crucemqꝫ ferens propria,
Pro me ad mortem duceris,
Et sceleratis jungeris.
Crux premit in itinere,
Et viæ rubent sanguine
Afflictum mater respicit,
Cor utriusqꝫ deficit.
Quid bone Jesu referam?
amori quid retribuam?
En si cor meum dedero,
Dediſse parum, reputo.
Amator ardentiſsime,
Redemptor benigniſsime,
Me totum tibi consecro,
Ah ne me spernas obsecro.
3 O Jesu, ô quàm miserè
à diro pendes stipite,
in cruce cum latronibus
dum elevaris medius,
Quaſsantur membra livida,
et renovantur vulnera,
Solutis iam compagibus
precaris pro tortoribus.
Consputa pallet facies,
cruore fuso macies
consumit membra arida,
dum sitis premit aspera.
Et dum clamares, Sitio
appeteris convitio,
aceti fellis mixtio
fit tandem tua potio.
Tormenta post innumera
nec ulla scis subsidia;
ad Patrem tristis clamitas
relictum te vociferas.

Anhelum pectus palpitat,
cor gemit, lingua æstuat:
te patri offers filium,
emittis, clamans, spiritum,
O quàm immensa charitas!
ó cordis mira bonitas!
cor tuum dulce aperis
te totum nobis tribuis.

O quam constringis suaviter,
quos redimis tam fortiter!
ó quanta tua pietas!
ó quanta nostra vilitas!
O Jesu, ó redemptor
spes, vita, consolatio
fac, mea mens ut ardeat
te solum semper sitiat.

Caput 49

Aspirationes ad Deum ob ejus amorem in beneficiis particularibus relucentem.

1 Dulcissime Deus, quàm magna est tua erga me charitas, qui, ut Filius tuus fieri possem, non inter Turcas aut gentiles, sed inter fideles tuos nasci me voluisti. O amantissime Deus, quid mihi profuisset beneficium creationis, si positus inter paganos abiissem in viam perditionis? Ah quàm magna est misericordia tua super me! nam ecce innumeros fermè homines in sua infidelitate reliquisti, me autem nullis præcedentibus meritis posuisti in numero Filiorum Ecclesiæ dilectæ sponsæ tuæ, quæ mihi tui cognitionem instillavit, et te Deum creatorem, redemptorem, ac patrem meum revereri, ac invocare docuit. O amabilis Deus, quid pro hac gratia retribuam, quâ mei tam gratuitò dignatus es recordari? quo pacto tui posthac oblivisci potero, qui mihi tantam charitatem præ multis aliis impendisti? Eja cor meum magno huic benefactori tuo noli esse ingratum, aut perfidum, sed fidele, et devotum. Dic ergo ei charitate ardentis:
ps. 62 adhæsit anima mea post te, quia me suscepit dextera tua.

2 Quanta insuper, ó clementissime Deus, tui erga me miseratio, quòd me ad baptismi gratiam pervenire

1 O Jesu quâ clementia,
Tulisti nostra crimina
Extrema mala sustines
Ut nos à morte tolleres
En hortum vix ingrederis.
Mox tristis esse incipis.
Tu confortaris coelitus,
Et sudor fit sanguineus.
Dum hostis furit impius,
Tu ei pergis obvius,
Mox perfidus sacrilego
Te Judas tradit osculo.
Injectis inde manibus
Te miles rapit improbus,
Te conjicit in vincula,
Infligit crebra verbera.
Gementes tui fugiunt,
In agnum lupi saeviunt,
Te tota nocte exprobrant,
Te velant, tundunt, lacerant.
Provolvar Jesu pedibus,
Haerebo in amplexibus,
Ex imo dans suspiria
Et flendo figens labia.
O Jesu summa suavitas,
Et cordium jucunditas,
Incomprehensa bonitas
Me tua stringat charitas.
2 In alba veste luderis,
Pilato dum reduceris,
En caro tua tenera
Fit tota plagis lacera,
Dum virgis atq; funibus
Catenis nec non fustibus
Indomitorum manibus
Feriris tam innoxius.
Livore corpus tumuit,
concisum flagris squalluit
Tremendum caput sauciant
Dum spinis illud vulnerant.

O quanta agnus pateris,
Dum tacens malediceris,
Illusus dum conspueris,
Dum salutatus caederis.
A nullo fit compassio,
Es omnium abjectio,
crucifigendum clamitant,
Quos nullae poenae satiant.
Obediens ad victimam
Crucemq; ferens propria,
Pro me ad mortem duceris,
Et sceleratis jungeris.
Crux premit in itinere
Et viae rubent sanguine
Afflictum mater respicit,
Cor utriusq; deficit.
Quid bone Jesu referam?
amori quid retribuam?
En si cor meum dedero,
Dedisse parum, reputo.
Amator ardentissime,
Redemptor benignissime,
Me totum tibi consecro,
Ah ne me spernas obsecro.
3 O Jesu ô quàm miserè
à diro pendes stipite
in cruce cum latronibus
dum elevaris medius.
Quassantur membra livida,
et renovantur vulnera,
Solutis iam compagibus
precaris pro tortoribus.
Consputa pallet facies,
cruore fuso macies
consumit membra arida,
dum sitis premit aspera.
Et dum clamares, Sitio
appeteris convitio,
aceti fellis mixtio
fit tandem tua potio.
Tormenta post innumera
nec ulla scis subsidia!
ad Patrem tristis clamitas
relictum te vociferas.

Anhelum pectus palpitat,
cor gemit, lingua æstuat:
te patri offers filium,
emittis, clamans, spiritum,
O quàm immensa charitas!
ó cordis mira bonitas!
cor tuum dulce aperis
te totum nobis tribuis.

O quam constringis suaviter,
quos redimis tam fortiter!
ó quanta tua pietas!
ó quanta nostra vilitas!
O Jesu, ó redemptor
spes, vita, consolatio
fac, mea mens ut ardeat
te solum semper sitiat.

Caput 49

Aspirationes ad Deum ob ejus amorem in beneficiis particularibus relucentem.

1 Dulcissime Deus, quàm magna est tua erga me charitas, qui, ut Filius tuus fieri possem, non inter Turcas aut gentiles, sed inter fideles tuos nasci me voluisti. O amantissime Deus, quid mihi profuisset beneficium creationis, si positus inter paganos abiissem in viam perditionis? Ah quàm magna est misericordia tua super me! nam ecce innumeros fermè homines in sua infidelitate reliquisti, me autem nullis præcedentibus meritis posuisti in numero Filiorum Ecclesiæ dilectæ sponsæ tuæ, quæ mihi tui cognitionem instillavit, et te Deum creatorem, redemptorem, ac patrem meum revereri, ac invocare docuit. O amabilis Deus, quid pro hac gratia retribuam, quâ mei tam gratuitò dignatus es recordari? quo pacto tui posthac oblivisci potero, qui mihi tantam charitatem præ multis aliis impendisti? Eja cor meum magno huic benefactori tuo noli esse ingratum, aut perfidum, sed fidele, et devotum. Dic ergo ei charitate ardentis:
Ps. 62 adhæsit anima mea post te, quia me suscepit dextera tua.

2 Quanta insuper, ó clementissime Deus, tui erga me miseratio, quòd me ad baptismi gratiam pervenire